

26

JEHOVAH ADSISTENTE;
In Regiâ Academiâ Aboënsi,
Ex Suffragio Ampliſſ. Colleg. Philoſophici,
HANC
EXERCITATIONEM METAPHYSICAM,
De
ENTIS NATURA
Ejuſq; **CONCEPTU:**

SUB PRÆSIDIO

VIRI, Præclariffimi

DN. M. PETRI LAURBECCHII,

Poëſeos Prof. Celeberrimi, Præceptoris ac Pro-
motoris ſui, omni obſervantiâ ætatèm colendi:

Ad diem 27. April. Anni 1772, MDC LXX II.

In Auditorio Supremo,

Pro Gradu Magiſterij Philoſophici, ejuſq; Privilegiis
obtinendis, publicè ad Examen deſert.

PETRUS P. Wetterſteen Wiſingzbur-
genſis, S. R. M. Stipend.

A B O Æ,

Excusam à **PETRO HANSONIO, Acad. Typog.**

ADOLF

Pro Gradu Magistri Philologici et Historiae
P E T R I U S P. C O M M U N I S W I S S E N S I A M
G E N I T I S R I C H A R D I

PRÆFATIO:



Prer alia à Romano illo Historico *Salustio* scitè dicta, hoc haud potestremam sibi vendicat, effatum laudem, dum corpus nobis cum beluis, animam cum Diis sive cælitibus communem esse datam ait; Eoq; multò præstabilius, ingenii, quàm corporis viribus gloriam quærere. Quibus, sapiens ille vir, non ventosam aliquam, in quam delirantes immodico feruntur studio mortales, sed veram illam animi, ipsissimam nempe ejus perfectionem inferentem ac beatitudinem, indigitare volebat gloriam. Sicut namq; in rerum hoc universo omnia, naturali quodam ad suum bonum feruntur impetu; ita vel maximè hominem in hoc, ut naturaliter suæ in hâc vitâ perfectionis, quâ cælestes genios affinitate quasi quâdam attingere videatur, compos fiat, eniti decet. Homo quippe animal divinum est, & naturæ juxtâ mortalis & immortalis confinium, ceu sola cælestis planta in terris constituta; cujus radicem optimus naturæ architectus Deus hisce inferioribus sedibus revinxit, commam verò ac perpetuò frondentem verticem, supra cæli stellarumq; vias, ad nunquam interituros religavit ambitus. Quare huic, tanquam majestatis suæ simulacro longè pulcherrimo, & quæ in mundo sunt singula, & mundum ipsum intuendum præbuit, ut ex naturæ & universitatis hujus contemplatione, & contemplationem consequente actione, perfectionem suam assequi ipsi contingeret. Hoc n. medium est, quo ad felicitatem hanc mundanam provehimur. hic finis simplicissimus est, ad quem hominem non

distor-

distortum anhelare fas est. Contemplationem hanc haud
minimâ ex parte promovet ac perficit *Metaphysica*, quæ
cunctorum artium caput ac dux quasi antesignana est, quæ
fluctuantibus per rerum infinitam multitudinem animis,
lucernæ adinstar, altissimâ in nocte, compendiosissimam
viarum omnium monstrat rationem; quippe quæ in gremio
suo universali, omnia aliarum disciplinarum comprehendit
principia: cæteræ omnes ἀκέφαλοι, sola hæc *Philosophia prima*
εγκέφαλος est; unde honorario isto ornatur titulo, quod sit
ἀρχικωπέτη seu Regina scientiarum. in cæteras enim, non in
externâ professionum philosophicarum, in societate hu-
manâ, directione, sed in internâ vigoris atq; vitæ commu-
nicatione consistente, instructa est imperio; quippe cujus cæ-
teræ, tum in principiorum suppeditatione, tum objecto-
rum adjudicatione, tum etiam utilissimarum distinctionum
subministratione, indigent directione. In hujus proinde
intromitti adyta, quid quæso jucundius? quid libero ho-
mine dignius? amantate hujus & insigni utilitate & ego
allectus, aliud in quo, juxta constitutionum Academicarum
tenorem, & Ampliff. facult. philosoph. mandatam,
publici examinis loco ingenii exercerem vires, dignius non
dixi argumentum. Ejus itaq; aggressus objectum, ipsius
naturam, rudi penicillo delineatam, eruditorum ac res
rectè æstimantium censuræ submittere volui. De Lectoris
æquâ ac benevolâ interpretatione bonam mihi spem faci-
ens. Sit itaq;

DISSERTATIONIS DE ENTIS NATURA

THESIS I.

ENS, Cujus jam explicandam aggredimur naturam, ex usu philosophorum *παραχῶς* dicitur, multasq; diversimodas admittit acceptiones.



Secundum ordinem in rebus tractandis processuro, *παραχῶς* *λογικῆς* *homonymiam* seu *equivocationem nominis*, errorum genetrix qua salutaris assolet, præmittere placuit; quâ sublata, facilius in ipsius rei investigationem patet aditus. Accipitur itaq; Ens, 1. vel *Participialiter* seu *adjectivè*, in significatione participii, à verbo substantivo *sum* derivati, denotatq; illud, quod *actu* est in mundo, *Entitatisq;* particeps est; vel *Nominaliter* seu *Substantivè*, rei significans *Essentiam*, non importato simul *actu essendi*; sic, tempore hyemali, rosâ non existente, rosa est Ens: *Essentialia* namq; *attributa* competunt Enti, præscindendo ab *actu & potentiâ*: 2. *Inadequatè*: idq; *vel Nimis latè*; & hoc triplici modo: 1. *Generalissimè*, pro omni eo, quod *prædicatum* vel *subiectum* in propositione aliquâ constituere potest: idq; tum *præcisè*, sive *affirmativa* sit prædicatio sive *negativa*, tum *restrictè*, ut tantum sit *affirmativa*; cui significationi fundamentum præbet particula *est*, quam omnis propositio, sive *explicitè* sive *implicitè*, requirit: hoc sensu *privationes & negationes*, item *Entis rationis & facta*, Entis nomine veniunt: 2. *Minus Generaliter*, prout de *actuali & potentiali* Ente dicitur: Huic enim *τὸ posse esse* attribuitur, ideoq; *Ens* dicitur, non quòd jam sit, sed quòd vel futurum sit, vel saltè ut sit, non implicet: sic liberi in lumbis parentum esse dicuntur, quamvis *actu* nondum exi

stant: 3. *Paulò Specialiùs*, prout jis competit, quæ esse in rerum naturâ, *positivo & reali*, quocunq; modo gaudent: Sic includuntur etiam, *Entia Concreta, Artificialia*, per *Accidens & Modi entis. Vel Nimis strictè*; (a) sensu *perfectionis*, dum *Ens*, vel *solò Deo* tribuitur, tum propter *independentem subsistentiam*, tum ob *terminorum carentiam*; vel *solò substantia completa*, accidentibus exclusis: (b) sensu *imperfectiõis*, in *Entis concretivâ* acceptiõne, prout pro eo tantum, *essentiam* tanquam aliquid à se *diversum* habente, concipitur; hoc modo *Ens* Deo applicari nequit, qui potius est *ὀντολογία* & *abstractè ipsa Essentia*: 3. *Adequatè* pro eo, cui *vera, realis, actualis & positiva* convenit *essentia*: cui acceptiõni hic locum relinquimus.

THESIS II.

Entia Privativa, Negativa, Entia rationis, in potentiâ, complexa, & per accidens, non verè, sed æquivocè tantum entia sunt.

Paucissimis, ut in intimiorem propositi argumenti cognitionem nobis venire contingat, mentionem eorum, quæ per *proportionalitatem* seu *equivocationem* quandam, titulum *Entis*, velut *Entium simiæ*, sibi vindicare præsumunt, injicere volumus; siquidem prolixè de iis agere, instituti non permittit ratio. Quando enim *Ens*, in *Positivum & Negativum, in Reale & Rationis &c.* dividitur, propriè nec generis in *Species*, nec rei in *modos*, sive *afficientes* sive *contrahentes*, divisio est; sed distinctio nominis *equivoci* in sua *equivocata, respectus* saltem *speciales* *Entis* latissimè accepti importans, prout id, quod intelligibile aliquo modo sit, notant. Nam *equivocè Entia, per se* scibilia non sunt, ut entia, cum ad naturam *Non Entium* proximè accedant, & *actû formali* entium destituantur; quapropter propriam entis speciem, per quam *directè* intellectui repræsententur, spargere nequeunt; sed per accidens
saltem

saltem, per Entis nempe similitudinem, quatenus ut entia
 concipiuntur, & per remotionem eorum, quæ Enti conveni-
 niunt, describuntur: neq; *directè* in ullâ hætenus receptâ
 disciplinâ merentur tractationem; *indirectè* autem & per quan-
 dam reductionem ad Metaphysicam, ceu disciplinam uni-
 versalissimam, in *actû signato* referri possunt, ut ex oppositis,
 Entis clariùs elucescat natura. *Entia Negativa & Privativa*
 quod concernit, Entis naturam haud participare queunt, cum
 omne *reale* Ens, *positivam realitatem & Entitatem* quandam im-
 portet; hæc vero illam non inferunt, sed remouent potiùs
 ac tollunt. *Negativum* in infinitum ab Ente distat (*Negati-
 tivè* sc. non *positivè*) ob *immediatam oppositionem*, & omnis
 convenientiæ *negationem*; Estq; planè in se Non Ens sive
Nihil: unde huic, quatenus *simpliciter* consideratur, nulla tri-
 bui accidentia, *intrinsicè* scilicet denominantia, nulla ejus dari
 scientia, *positiva* nimirum, *affirmans, per se & directâ*, potest;
 Quamvis ei, prout *secundum quid* consideratur, attributa *ex-
 trinsicè* denominantia, ab actu intellectus, phantasie aut ap-
 petitus dependentia, nec non cognitionem *κατ' ἄρην* sive
privativam & destructivam, vel *per accidens & indirectam* (quod
 de Vacuo & Infinito in physicis, & absoluto electionis de-
 creto in Theologiâ constat) haud negare possimus. *Priva-
 tio*; pro carentiâ formæ, *essentialem perfectionem* inferentis, ac-
 cepta, nullo ad *accidentalem*, rei sive adhærendo sive circum-
 stando extrinsecus convenientem, nec ad integritatem rei
 spectantem (quæ *improprie* ens privativum dicitur) habito re-
 spectu; *formaliter* essentiæ importat defectum, atq; ita est *Non
 Ens*. Et quanquam, *ratione subjecti & materialiter*, aptitudinem
 recipiendi connotet, hoc tamen privationi extrinsecum est,
 nec quicquam, ut verè rationem Entis mereatur, facit.
 Unde *privationi* omnis denegatur efficacia, ut ab illâ *effectus*
 aliquis manare non possit *positivus*; licet aliâ sub ratione,

nempe, vel *consecutivè*, vel *occasionaliter*, actum aliquem ei ad-
 scribere haud veremur. In classem *verè entium* nec referri
 possunt, *Entia Rationis* & *Intentiones secunda*; siquidem, præ-
 ter *representationem*, quâ rationi objiciuntur, & extra intelles
 Quos *intentionem*, nihil *reale entitativum*, sed purè *esse in-*
entionale & *objectivum*, non ullam *verò* *essentiam verè* ha-
 bent. Idem statuendum de *Ente in potentiâ*, quod in se &
Entitativè nec ullam *realitatem* habet: quod probatur. 1. *Ex*
propria Essentia carentiâ, quam in causis putatur habere; At
 illa est *potentia causa*, quæ *Ens reale* est, quæq; *essentiam rei*
producendæ intrinsicè & *essentialiter* constituere nequit. 2. *Ex*
affectionum defectu, quibus omne ens necessario instructum
 esse debet. 3. *Ex contrahentia per modos* & *species impossibilitate*;
 quis enim diceret illud, quod nondum est, *substantiam esse*
 vel *accidens*? cum proinde *potentiam saltem objectivam* seu *non*
repugnantia ad existendum habeat, ideo omni jure è numero
verè Entium excluditur. Hinc tamen *Enti in potentiâ* prædi-
 cata tribui *realia* non repugnat, cum hæc *veritatem saltem*
attributionis possunt, non *essendi actualitatem* inferunt; inde a-
 cave illi *operationem tribuas realem*! siquidem *contradictionem*
 implicat, esse in *potentiâ* & *realiter operari*. Nec *Ens per Accidens*
 hanc sibi gloriam vindicare potest, ut inter *verè Entia* saluari
 queat; sive enim consideretur *respectu causa*, sic sub *scientiam*
 non cadit, quippe *casuale* & *fortuitum*; sive *respectu subjecti*,
 ita namq; *simplicem non repræsentat conceptum*, sed *subjectū*
 & *adjunctum*, cum *respectu* inter hæc, *subinfert*; sive *respectu*
unionis, sic quippe in plurium *Entium completorum*, beneficio
extraessentialis unionis, *conjunctione* consistit, atq; ita non
Ens, sed *Entia plura* involvit, Eadem ratio de *Ente complexo* esto,
 siquidem *plures simul menti præbet conceptus*, ideo extra
veri Entis territorium etiam illud exulare jubetur.

THESIS III.

Ens est Generalissimum illud in existendo, quod, seu notissimum, omnium primò, ab intellectu concipitur.

In *relatione* ad omnia in naturâ existentia, quatenus intellectui obijciuntur, Ens si spectare velimus, duo Entis conceptum constituentia ac distinguentia sese insinuant: *Materiale*, quod est *ad Generalissimum*; Enti namq; verissimè convenit, quod sit conceptus existentium *Generalissimus*, omnium enim aliorum ejus conceptus est summus apex. Omnia autem extra nihil constituta quantumcunq; inter se *diversa* sunt, unâ hæc *notione conceptus Generalissimi* comprehenduntur, in eâq; coincidunt, quæ cum Ente tamen non reciprocatur, siquidem & *Affectiones* Entis *Generalitatis* hujus participes sunt: in istâ proinde mentis advertentiâ, additur *Formale*, quod est *ad primò cognitum* in existendo; hujus namq; beneficio *communitas materialis*, sc. *ad generalissimi*, ad solum Entis conceptum restringitur, & ab affectionibus, quæ existere *primùm* ab intellectu non cognoscuntur, sed demum *primum & summum conceptum* consequuntur, distinguitur. Hinc convertibilitas *ratione essentia*, quod nulli, præter conceptum Entis, *ad in existendo primùm cognitum* tribui possit, exurgit: Esse a hoc modo ens *primò cognitum*, ipsa experientia probat; cum enim rem primò nobis oblatam, quoad *determinatum ac propriorem conceptum*, nominare vel definire ignoramus, primum quod nobis succurrit, hoc est, *esse Ens*: ea namq; mentis nostræ est indoles, ut in scrutinio rerum ordiatur à *communissimis*, & ab *imperfecto* tendat ad *perfectius*, donec ita consequenter magis magisq; in *adequatam ac accuratam* rerum cognitionem perveniat. Dum ergo Ens *primùm cognitum* dicimus, intelligendum est id, secundum *acquisitam* cognitionem, *confusam & originalem*,

non verò *distinctam* & *habitualem*; & quidem, non quatenus est à *singularibus abstractum*, sed pro ut in iisdem radicatur, estq; *singularizatum*.

THESIS IV.

Ens est, quod per se & intrinsecè essentiam habet in naturâ realem, positivam & actualem.

Et si quidem *Ens*, utpote omnium *primum*, tum *primitate γνώσεως*, tum *primitate φύσεως*, supra se nihil, mente humanâ quod concipi potest *generalius*, generis loco, nec juxta se *differentiam* ullam agnoscens, ex *Logicorum* regulis *definitionem* planè respuat; Qualicumq; tamen *descriptione* ejus natura explicari potest. In *precedenti thesi*, Entis conceptus omnibus cæteris *contradistinctus*, *formaliter*, inq; *relatione* ad mentem nostram, proponebatur: in *hâc* verò, *communis omnibus essendi ratio*, prout inferioribus omnibus communicatur, repræsentatur: Omnia quippe, quæ *Entis rationem* habent, in *hâc formalitate* conveniunt; nec ullum datur *Ens*, de quo non possit dici id, quod *hâc descriptione* exprimitur. Et quanquam *idem* per *idem* declarari videatur, tamen nos contentos esse oportet; cum aliter in *hisce abstractissimis* non liceat: observandum tamen, inter *τὸ habens essentiam*, & *essentiam*, quæ habetur, *discrimen reale* non dari, quæ potius *simpliciter* eadem sunt; *Ens enim est conceptus simplicissimus*, ut Deo etiam applicari non repugnet, à quo tamen omnem *compositionem* & *divisionem* exulare certum est: nostra proinde intellectus imbecillitas ita loqui postulat. Per cætera *descriptionis* verba removentur omnia ista *Entia*, quorum in *thesi secundâ* mentio facta est.

THESIS V.

Ens in universalissimâ suâ naturâ consideratum, & quatenus *Ens* est, nulla essendi agnoscit principia.

Principia alicujus rei sunt *duplicia*: alia *Essendi*, quæ *essentiam*;

riam; alia cognoscendi, quæ cognitionem rei dant. Illa, ob
 Entis sublimitatem, hic speranda non sunt: quia Ens est con-
 ceptus generalissimus, cui quicquid tribuitur, istud omnibus sub
 Ente contentis necesse conveniens sit; imò Deus ab isto con-
 ceptu nec excluditur, Cui principia essendi assignare velle,
 quibusvis absurdis absurdius foret. Deinde, si Ens essendi principis
 esset instructum, ulterius non esset summum; principium namq;
 semper prius suo principiato, atq; sic processus in infinitum evitari
 non posset. Alioquin generaliter loquendo, Ens utiq; habet Ra-
 tionem Essendi, quæ causa virtualis dici non incongruè potest,
 non quidem ipsius Entis, prorsus universaliter vel abstractivè ac-
 cepti; sed præcipuè Affectionum, quæ per illam Rationem essen-
 di, tanquam causam virtuales, de ipso Ente demonstrantur: alia
 proinde sunt principia essendi subjecti, alia sunt principia affe-
 ctionis de subjecto demonstrandæ, quæ hic dantur. Hac al-
 tera, principia nimirum cognoscendi, quæ secundum quandam
 analogiam principia dicuntur, omnino de Ente habentur, & in
 Axiomatibus Metaphysicis, quæ per totum Metaphysicæ campum
 sparguntur, exhibentur: Qualia sunt; impossibile est idem si-
 mul esse & non esse: Quodlibet est, vel non est. Totum est majus
 quâlibet sua parte: &c.

THESIS VI.

Conceptus Entis est *νοημα*, Ens intellectui repræ-
 sentans.

Rei quò fieri possit cognitio, res ipsa cognoscenti poten-
 tiæ præsens ut existat, cumq; intellectu jungatur, ne-
 cesse est: hoc verò secundum esse reale fieri nequit, sed se-
 cundum esse intentionale, ita ut per ideam seu imaginem suam
 res extra mentem constitutæ menti sistantur; unde ab intel-
 lectu expressæ & per verbum mentis representata, species con-
 ceptus nomine veniunt. Hujus tanta est necessitas, ut sine
 hoc veritas Entis possideri nequeat: sicut enim abstractione
 assequi-

assequimur veritatem apprehendendam, ita *conceptu* possi-
 demus eandem apprehensam. Simulacra rerum mens for-
 mat *abstrahendo*, ad res ipsas ea conformat *concupiendo*, & sic
 tandem verum possidet *cognoscendo*. Unde etiam *conceptus*,
 Rei *formalis ratio* appellari solet; quippe ad *formale* alicujus
 exactius penetrandum facit *notio*, quam intellectus est *potentiâ*
 deducit *in actum*, quæ rectè constituta, cum *quidditatem* &
essentialiam rei in *ideâ* repræsentet, *formalis ratio* optimè voca-
 tur; sed hoc saltem *signotenus* & *intentionaliter*, non *realiter*,
 intellectum volumus: nam intellectus intelligendo conver-
 titur in omnia, non *essentialiter* & *formaliter*, sed *idealiter*; idq;
 vel *idealiter subjectivè*, prout ex receptis ideis habitualis re-
 rum in intellectu exsurgit cognitio; vel *idealiter objectivè*, in
 quantum res extra mentem existentes, *conceptu* mediante,
 coram mente repræsentantur, eiq; *idealiter* præsentis fiunt;
 vel *idealiter consequenter*, quod fit per *notiones secundas*, quas
 fabricat intellectus, quibus tanquam instrumentis facilius
 longè ac melius rerum indagatur cognitio.

THESIS VII.

Datur in mente nostrâ, Entis quatenus Ens unus
 conceptus formalis, omnibus Entibus communis;
 & etiam unus conceptus objectivus.

Theseos hujus antequam explicationem aggrediamur &
 probationem, scire multum interest, quid *conceptus objectivus*,
 quid *formalis sit*. Est itaq; *conceptus objectivus*, *communis natura*
Entis, quam intellectus à *singularibus* abstractam, tanquam
objectum, quasi extra se proponit sibi contemplandam, & per
speciem intelligibilem seu potius *conceptum formalem* apprehen-
 dendam. Omnium *singularium Entium*, verà, *reali* ac *po-*
sitivâ in rerum naturâ gaudentium *essentialiâ*, datur tantâ *Gene-*
ralitate affecta convenientia, ut omnia *Entia*, tam *increatedum*,
 quam *creata*, includat; quippe sub *communi essendi ratione*

conveniunt. *Individuorum* a. quoniam infinitus, respectu nostri, est numerus, ita ut ab intellectu nostro, ut acquiescat, exhauriri nequeat, tum etiam, quod illorum pleraq; *concreta & composita* sint, ubi *uni plurima* conjunguntur, unde multiplices variosq; involvunt *conceptus*, & menti nostræ *confuse* se offerunt; In subsidium proinde vocanda est *abstractio* seu *precisio intellectus*, quâ mediante, res *individuis* immersæ, è *statu Singularitatis* in *statum universalitatis* elevantur: quo eodem pacto *determinatus* quidam formatur *Conceptus*, omnibus quidem *Entibus singularibus communis*, ab illis non quidem *separatus*, sed mentis ope *abstractus & precisus*. Hunc *convenientia conceptum*, licet extra mentem non sit à *singularibus distinctus*, ad modum cognitionis *singularium* extra se quasi in prospectu intellectus collocat, ut postea, mediante *specie intelligibili*, sibi repræsentetur; qui *conceptus objectivus* appellatur. Unum hunc esse, probatur (præsupposito, quod *unitas conceptus formalis* hujus *unitati*, tanquam fundamento, in *objecto proportionato* innitatur) quia datur *abstractio sine distractione* mentis ad plura: conceptâ namq; voce *Entis*, non implicantur in isto conceptu plura, quæ sub Ente sunt, sive *copulativè*, sive *disjunctivè*, sive aliàs absq; *conjunctione*; sicut enim consideratur *homo*, non penetrando ad *Petrum* vel *Paulum*, ita concipitur *Ens*, non considerando eo ipso *Entitatem*, vel *substantiâ*, vel *accidentis*, sed in eo consistens, quod omnibus *expressioribus essendi rationibus commune est*. *Unitatem* hanc habet, non à *parte reij*, sive *unitate reali & numericâ*, sed *unitate universali*, nempe per mentis, rerum convenientiam à *singularibus* abstrahentis, operationem; unde etiam ab inferioribus, non re, sed *ratione*, non *exclusivè*, sed *precisivè* abstractus est: unum namq; eorum excludit *realiter*, & ab omnibus imbitur *intimè*, neq; tamen eorum ullum includit *formaliter*, quia ab omnibus *præscinditur*, & sub *esse isto preciso*, non appre-

hensis simul quidditatibus determinatùs, illimitatè consideratur. *Conceptus* Entis *formalis*, est species in mente de *conceptu* *objectivo* formata, quâ Ens intellectui, actu in ejus contemplatione occupato, idealiter, immediatè & adequatè sistitur ad contemplationem. Intellectus in hoc negotio *objectum* est *conceptus* *objectivus*, quem mens, specie intelligibili adhibitâ, contemplatur; ad hujus itaq; normam *conceptus* *formalis* est formandus; siquidem omnis imago normatur ab eo, cujus est imago. dicitur *formalis*, quia *qualitas* est, & rem in *abstractâ* *formalitate* repræsentat, seu quòd *forma* *accidentarie* instar menti inhæret, in quâ etiam tamdiu durat, quamdiu in *actuali* *objecti* *consideratione* intellectus perseverat; aliàs, homine non cogitante, & *objectivus* & *formalis*, quia *relativè* accepti simultate gaudent, *conceptus* esse desinunt. *Objectivus*, non pro *re ipsâ* *objectâ*, sed pro *re* *instatu* *illo* positâ acceptus, *formali* *conceptu* sublato tollitur, quatenus non *ut res*, sed *ut conceptus*, sunt simul; *Formalis* itidem perit, quia si maneret, homo de re unâ perpetuò discurreret; quod absurdum. hunc etiam dicimus, non *nomine* saltem, sed *re* unum, quippe qui *singularis* & *individuus*, uti quævis *species* *representativa*, est. sicut ergo *abstractum* *suum* *esse* à *ratione* non sortitur, ita nec per operationem ejus, sed *realiter* & *singulariter*, unitatem in *re* habet. abstractus etiam est ab *inferioribus*, *substantia* nimirum & *accidentis*, conceptibus, non *ratione tantum* (ut *conceptus* *objectivus*) sed *realiter*, cum aliâ specie indigeat intellectus noster ad concipiendam *substantiam* vel *accidens*, aliâ ad *communem* *utriq;* *rationem*. ad *conceptum* namq; *formalem* requiritur cum *objecto* *representato* *conformitas*, sive proportio; quæ nulla esset, si *conceptus* Entis *formalis*, idem esset cum *formali* *conceptu* *substantiæ* & *accidentis*; simulacrum unius simulacrum alterius esse nequit.

THESIS VIII.

ENS, in relatione ad intellectum nostrum, & quatenus universalem gignit conceptum, in quadruplici est statu: Objectivo fundamentali, objectivo Ideali, Ideali formali, & Universali.

Pro uberiori eorum, quæ dicta sunt, intelligentiâ, ab hoc loco haud alienum duximus, obiter *quadruplicem* illum *statum*, quo *Ens*, in respectu ad mentem nostram, varijs sese exhibet modis, indicare: qui *status* in Ente nullam *realem* important *differentiam*, sed idem, beneficio *distinctionis rationis*, multis modis *distinctè* concipi posse declarant. Quorum 1. *status objectivus fundamentalis*; secundum quem *Ens actu* in ipsis fundatur ac radicatur *individuis*, ac cum *conditionibus individuorum* est conjunctum: hic primus est *status*, secundum quem Entia, quæ infinita sunt, cognosci nequeunt, ideoq; reliquis supponitur, & omnium, quæ de Ente habentur, veritatum, *causa est radicalis*, easq; in se *virtualiter* continet: 2. *status objectivus Idealis*; juxta quem *Ens in ideâ* consideratur, nec prout in *individuis* fundatum est, sed in *suâ naturâ ratione abstractionis & præcisionis* conceptâ, ac à *conditionibus individuorum* denudatâ, menti repræsentatur: ex hoc statu *conceptus objectivus* Entis oritur, & *Entis definitio prior relativa* desumitur. 3. *Status idealis formalis*; secundum quem *Ens actu* in unoquoq; priorum *statuum*, intellectui per *speciem* sui *representativam* sistitur; Et hic *status conceptum Entis formalem* includit. 4. *Status universalis*; juxta quem *Ens* beneficio intellectus præcisum, eiq; *idealiter* repræsentatum, consideratur, cum *aptitudine pluribus inexistenti*, per certos modos seu quasi *species*, ad ea tanquam *inferiora* contrahibile: huic *status* talis ad *inferiora* involvitur *respectus*, qui in *statu ideali* non attendebatur, hoc namq; in *statu*, *Ens aptum natum* est dici de *substantiâ*, de *accidente*, de *corpore*, &c.

THESIS IX.

Conceptus Entis, in ordine ad inferiora, substantiam nimirum & accidens, non est æquivocus, nec univocus, sed analogus.

Superioribus hætenus demonstratum est thesibus, Entis Formalem & objectivum conceptum unum esse; nunc de eodem ad inferiora relato ulterius, scilicet qualis sit ille, inquirere lubet. *Æquivocum* verò cum esse, constanter negamus; Nam præter illud, quòd *æquivoca*, neq; pariunt scientiam, neq; *predicatis*, secundum quæ dividi possunt, constant *essentialibus*; Etiam nominis tantum communitatem, non v. *definitionis* & *natura identitatem* tribuunt inferioribus; At *substantia* & *accidenti*, non solum sub Ente, nominis tribuitur *convenientia*, sed e-jusdem etiam *essentia* communicatur & *definitio*. *Accidenti* n. *intrinsecè positivum esse* in naturam existens, citra mentis competit fictionem, *affectionumq;* Entis capax est; Huic etiam *verè & realiter*, licet *Instrumentaliter*, conveniunt actiones. Nec *univocus* est: vera enim *univocatio* postulat, ut eadem *essendi ratio generis*, sub æquali modo *speciebus* insit; Ens a: *substantia* & *accidenti* *essentiam inæqualiter* communicat; Illi *primò*, *per se ac independentè*, huic verò *secundariò*, *dependentè* & *propter substantiam*; *Inessendi* namq; ratio, quæ *accidentis* est, *substantia* tanquam *basi* & *inseparabili innititur* fundamento, adeò ut, nisi *per habitudinem* ad illam, commodè declarari nequeat. Relinquitur proinde, conceptum hunc esse *Analogum*, *Analogiã*, non *proportionis*, in nudâ similitudine, *essentia communitate exclusã*, consistente, ac *impropriè* quandam involvente, cumq; *æquivocatione consilio factâ* coincidente; sed *attributionis*, non quidem *extrinsecæ*, quippe quæ *extrinsecam* saltem denominationem infert, sed *intrinsecæ*, quæ hic locum mereri potest: Siquidem communis *essentia*; omnibus *analogatis intrinsecè*, sed cum *inæquali*, *primariã*

sc. ac *secundariâ* participatione, tribuitur; quum plus in *substantiâ*, quàm in *accidente* resideat *Entitatis*. De *Inaqualitate* a. nobis cum sermo est; intelligenda venit *inaqualitas*, non *dignitatis*, cum pauca vel nulla sunt *genera*, quorum *species* per omnia æquali gaudent perfectione; sed *ordinis* & *dependentia*, ita ut inferiorum uni communicetur iste conceptus primò & *absolutè*, alteri vero *secundariò* per *dependentiam* & *habitudinem* ad prius: atq; hoc modo *Ens*, *substantia* & *accidentis* respectu, *Analogum* est. Hic tamen observandum, conceptum hunc, licet in ordine ad *substantiam* & *accidens* *Analogicus* sit, non tamen esse *generi* cum seu *genus* *Analogum*: hinc prori^o omnis generis expirat ratio; & *analogum* genere *analogo* latius est: si autem *Ens* *genus* esset, *substantia* & *accidens* *species* essent; sed *substantia* summum *genus* est, quod nunquam fit *species*; *Accidens* nè quidem summum *genus*, nedum ut ad ordinem *specierum* se demittat. Aliàs etiam *genus* de *differentiis* suis *divisivis* in quid & *essentialiter* non prædicatur, cum tamen *Enti* de *subsistendi* & *inesse* *ratione* *essentialis* & *quidditativa* haud denegatur prædicatio:

THESIS X.

Essentia, *Res*, *Aliquid*, sunt *synonyma* *Entis*.

Synonymorum, eandem in usu communi cum *Ente* habentium *significationem*, duæ sunt *classes*; *quadam* per omnia & *simplici* cum *Ente* gaudent æquipollentiâ; *quibusdam*, ex *impositione* vocis, & usu loquendi, *significationi* *Entis* respectum quendam addere contingit. *Prioris* ordinis sunt, *Essentia*, *Res*, *Aliquid*, quorum enodationem præfens sibi asserit *Thesis*. *Posterioris* *classis* sunt, *Existentia*, *Forma*, *Natura*, *Quidditas*, *Ratio*, *Terminus*, de quibus sequens sollicita erit *thesis*. *Essentia* itaq; hoc modo planè *idem* est, quod *Ens*: Est enim id, per quod *Ens* est quod est; sint namq; duæ vel plures *essentie*, non poterunt non esse plura *Entia*: *Essentia* namq; quæq; *Ens* constituit, *absoluta* *absolutum*, *relata* *relatum*; hinc ortus est

canon iste: *unius Entis unica est essentia.* Quod autem discrimen nonnulli in eo ponunt, quasi *essentia principium & formalis ratio* Entis, è quâ *affectiones* fluant *transcendentes*, esset, omni caret fundamento, quâ usum receptum loquendi; nam quamvis *essentia* Entis *abstractum* sit *Logicum*, sensu tamen *Metaphysico*, ut *abstractum & concretum* se non habent: ita enim *Essentia* est *ipsissimum* Ens: Ens namq; hic sumitur *nominaliter*, & in *abstractissimo* conceptu; non verò *participialiter*, ut rationem aliquam *adjectivi* & ita *concretionem* subinferat. sic etiam nec id, quod inter *principium & principiatum*, intercedit discriminis; Nam *essentia* quidem est *ratio emanandi affectionum*, sed eâ ratione, quâ ipsum Ens; undè *diversè* ab Ente infert nihil, sed ad ea, quæ ab Ente manant, *habitudinem* quondam saltem implicare videtur: ideo *communiter*, quod sit *principium primum & radicale omnium proprietatum & operationum*, quæ Enti conveniunt, describitur. Hinc proinde *Essentia*, *principium emanationis affectionum*, non verò *Entis principium constitutum* dici potest: alioquin sui ipsius esset *principium*, & *principium* esset ipsum *principiatum*: quod absurdum! *Res* ab Ente, non nisi solo nomine discrepat; siquidem ipsam *essentiam* Entis, *abstractè*, sed, non *concretè* aut *paronymicè*, denotat, deq; Ente *quidditative* prædicatur. Effatum illorum; *Rem præcisè & nudam essentiam* dicere, in Ente simul *existentiam* includi existimantium, nullius est ponderis; Cum & *Res* ejus, quod existit, etiam *significationem* obtineat. Timplerum, *Ens Genus Rei*, & *Aliquid genus Entis* statuentem, à Jacob. Mart. in Exercit. Met. & Scharf. in Theor. transcend: solidè refutatum vide: Nec subtilitas curanda Scoti, *Res* a reor, reris, id est, ominaris, derivari putantis; cum sic *aquivocè* Ens sit, tamq; late pateat, ut *Entia etiam Rationis* includat, siquidem verbum illud *Reor*, actum intellectus importat; At si originem suam à *Ratus, rata, ratum*, ducit, *essentiam ratam*, firmam

stabi

stabilem atq; realem significat. *Aliquid* etiam, non minus quam *Res* & *Essentia*, synonymum *Entis* est; Estq; idem quod quidditatem aliquam habens, denotatq; κατ' ἐξοχην & absolute id, quod *essentiam* habet, & non *Enti* opponitur. *Ens* namq; dicitur ab *essentiâ*, *Aliquid* â quidditate; *Essentia* vero & quidditas synonyma sunt. Allusionem illam quod concernit, quâ *Aliquid* dicitur, quasi *aliud quid*; quâ ratione, vel affectionem *Entis disjunctam*, quâ diversum ab alio denominatur *Ens*, vel *respectum* consequentem unius, è quo manat diversitas, adeoq; ipsam ab alio divisionem denotat; illa locum hic non meretur, nec habet in usu philosophico fundamentum.

THESIS XI.

Existencia, Forma, Natura, Quidditas, Ratio, Terminus, æquipollent Enti.

Quamvis idem cum *Ente* sit *existencia*; quam hic non pro *subsistentiâ ultimâ*, nec pro modo & statu *existendi* accipimus; ad *actum* tamen *essendi* seu *actualitatem*, qua res extra suas causas sistitur, *respectum* quendam involvit: id quippe est, quo primò & formaliter, *essentia Entis positivi*, *actualis* & *realis*, constituitur, & *essentia in actu* constituta est ipsa *existencia*, unde nè concipi quidem potest, aliquid esse ipsa *existencia*, sine *actuali essentia*. Hinc, *negatâ existentiâ*, impossibile est servari *essentiam*: & contrâ; *communicatâ existentiâ*, non potest non simul *communicari essentia*. Errant proinde graviter illi: 1. Qui omni *Enti* propriam negant *existenciam*, cum nihilominus *existencia* omnibus rebus *intrinsicâ* sit & *essentialis*, & *ultima rei actualitas*: distinguere nescij, inter *existenciam*, quæ propriè ipsum *essendi actum*, quâ res extra nihilum ponitur, infert, quæq; ad *modum existendi*, alteri innitendo ut sustentanti, vel sine aliquo sustentante, se *indifferenter* habet; & *subsistentiam*, quæ est *modus existendi determinatus* & *contractior*, *existenciam* ad rō per se exi-

se existere, & sine aliquo sustentante, limitans. hæc quibusdam Entibus, ut de humanâ Christi naturâ, propriâ *subsistentiâ* carente, constat, denegatur; illa nevitquam. Alia deinde est *Existencia completa & terminata* in suo genere, alia *completa* ultimò in genere *substantiæ*; prout Ergo *Ens* est, vel *simplex*, vel *compositum*, totum vel pars, ita etiam habet *existentiam*, totum totalem, pars partialem. Hinc, non modò *subjecta*, sed etiam *accidentia*, quæ insunt *subjectis*, propriâ gaudent *existentiâ*; pariter quoq; *Modi rei*, ut proprio esse ab illo esse, quod natura, quam modificant, habet, *diverso* non carent; ita nec *propria* destituuntur *existentiâ*. Errant 2. qui *existentiam affectionem Entis* dicunt, *Existenciam* Enti modum aliquem addere putantes; sed facili negotio refelluntur: Quia *existentia* non afficit *Ens extraessentialiter*, nec illud *παρὰ τὸν ὄντως* denominat (in hisce enim *affectionum natura* consistit) nec in numero *unitarum* aut *disjunctarum* affectionum haberi potest, sed est ipsa *intrinseca*, ut modò dictum, *actualis essentia*, & *Entis* synonymum, quippe *transcendens* est, & tam *substantiæ*, quàm *accidenti* tribuitur. Errant 3. qui *existentiam acci-*dens *essentiæ* statuunt, idq; in rebus creatis tantùm valere dicentes, ita ut non *accidens predicamentale*, sed *predicabile* intelligatur. Quàm vero longè à veritate hæc aliena est assertio, nemini non in aprico est. Nam in quantum *creaturæ* sunt, *existentia* ipsis *essentialis* est, & omni *adventitio respectu* excluso, intimè in ipsâ *essentiâ* includitur: accidit quidem *existentia* *creaturis*, ut sunt *objectivè*, non verò ut sunt *creaturæ*, vel in quantum sunt *verè & positivè*. Unde *οὐκ ἐξ ἑαυτῶν* in ordine ad Deum, à quo esse habent *creaturæ*, ipsis *essentia* tribuitur & *existentia* suo modo *accidentaliter*, id est, *dependenter & participativè*. Quod autem *accidens predicabile* non sit, probatur inde; quia de *essentiâ vera* non dicitur *contingenter*, nec potest rei adesse & ab eâ abesse. For-

mam hic, non *physicam* seu alteram tantum partem *essentialens*,
& cum materia corporis Naturalis principium constitutivum;
sed *Metaphysicam* sive totius, totam *essentiam* seu ipsam rei *quid-*
ditatem designantem, omniq; *Enti*, tam *materiali*, quam *im-*
materiali; tam *substantia*, quam *accidenti* competentem, intel-
ligimus; Et *Naturam* hic loci, non *proprietaem* e *quidditate*
profluentem, sed ipsam rei *quidditatem* accipimus: utraq; e-
nim dicitur *Ens*, sed illa cum connotatione *Actualitatis*, hac cum
respectu ad operationes & proprietates. *Quidditas* quoq;
ipsam *essentiam* & *naturam* rei, sed in *respectu* ad intellectum,
quatenus quid sit cognoscitur, seu definitione exprimitur,
infert; quanquam nonnullis *essentiam* inter & *quidditatem* di-
scrimen aliquod facere placet, ita ut ista *totum esse* rei involvat,
hec v. *ultimam realitatem*, secundum quam aliquid in propria
constituitur *Specie*, designet. alias distinctionem adhibere solent,
inter *cognitionem quidditatis* & *quidditativam*: Illa non totam
rei *essentiam*, sed quaedam tantum *predicata essentialia*, utpote
rem confuse, *inadequate* & per *conceptus negativos* saltem, & minus
distinctos repræsentantia, apprehendit; ad hanc verò omniū *pra-*
dicatorum essentialium requiritur cognitio, ita ut res *distinctè* in *con-*
ceptu proprio; juxta *ultimam differentiam adequate* cognosca-
tur: sic cognitionem Dei naturalem dicunt esse aliquam seu
quidditatis, non a. *quidditativam* & *adequatam*. In *respectu* ad
cognitionem nostram, æquè *Latè* cum *Ente* patent *Ratio* &
Terminus; unaquæq; enim *Res propria* gaudet *ratione*, cum *λό-*
γος seu *ratio*, ipsa rei sit *definitio* & *essentia*. *Cognitio* nostra
incipit ab *accidentibus*, & terminatur in *essentia*; & proinde *Ter-*
minus est, unde quævis res *duplici* ad intellectum instructa
est *ratione*: Alterâ *Essentiali*, ad intellectum divinum, qui me-
surat ac terminat omnia, & à nullâ re mensuratur: hic enim
norma est *infallibilis*, à quo cætera omnia certitudinem accipi-
unt: alterâ *Accidentali*, ad intellectum humanum, qui in se

indeterminatus, à rebus mensuratur, non vero easdem mensurat. Mensura quippe omnis veritatis, ratione constitutionis, est intellectus divinus; Ratione apprehensionis & cognitionis humanæ, sunt res ipsæ cognoscendæ: cum enim res sint veræ, quatenus propria natura formam sortiuntur, etiam intellectus cognoscens verus dicitur, in quantum rei cognitæ conformitatem habet. Atq; hæc de Subtili hæc & intricatâ materiâ, pro instituti ratione, dicta sunt.

Soli Deo gloria.

IN

Dissertationem de ENTE,
DN. PÆTRI P. WETERSTENII,
pro honoribus Magisterii Philosophici dextrè & solerter disputantis,

Επιλογουµεν.

I*psa, quòd Existens quid sit, res quæq; seorsim
Dependens summo jugiter Ente monet.*

Q*uà tamen accedat rebus Deus ipse creatis,
Id capere est docti gloria priva viri.*

N*e! fertur curis huc WETERSTENIUS istis,
ENTIS ut abstractâ de ratione docet.*

E*x voto, docti nomen portabit & omen;
A Scito dictus, scita brabéa ferens.*

C*onveniunt rebus sic nomina sæpe: nec illud
Ambiguum, SCITUS num queat esse LAPIS?*

Schediasmate gratulatorio posuit

PETRUS LAURBECCHIUS.

P. P. P.